

D. T. O. M. A. !
DISQVISITIO PHILOSOPHICA
De
PROPRIORUM
COMMUNICATIONE.

ad moderamen
DECANI MAXIME SPECTABILIS,
Viri Amplissimi & Excellentissimi,
DN. CHRISTIANI TRENTSCHII,
LOGICÆ ET METAPHYSICÆ PROFES-
SORIS PUBL. CELEBRATISSIMI &c.
Ad d. XXIII. April: in Auditorio Majori
INSTITUTA ET PROPOSITA

JOHANNES LUDOVICO HARTMANNO,
ROTENBURGO-TUBER: FRANCO.

WITTEBERGÆ,
TYPIS JOHANNIS HAKEN, M. DC. LXX.

coll. diss. A
22, 68

J. H. 57

a. c'XXII. 68.

DISPOSITIO PHILOSOPHICA
A. T. O. M. A. I.

PROPRIUM

COMMUNICATIO

DECANI MAXIME SPECTABILIS

DR. CHRISTIANUS REINTSCHNIG



LOGICAE ET METAPHYSICAE PROFESSORIS

AD A. XXIII. Aprilis in Auditorio Majori

Instituta Et Prologia


JOHANNES LUDOVICUS HARTMANNUS

ROTEBURGO-TURER. PRINCEPS

WITTEBERGAE.

TYPE JOHANNIS HAKEN, M. DC. CXX.

16.



I. N. J.!

PROP. ARASCEVE.



Um multa sint consideratio-
ne digna, tum præcipuè rem propositam
eò libenti us dispicere placuit, quò magis
ab Eruditis est præmunita, & ab Adversa-
riis impetita. Hinc enim certi sumus, nec
id à Bonis improbari, in quo Bonorum
vestigia legimus, nec ab aliis expugnari
posse, quod multi frustra impugnârunt.

Nam veritas semel in lucem protracta sani hominis sensum & as-
sensum fugere nequit, etsi haud desint, quos animus obstinatus
in transversum rapit, ut etiam id, quod manifestè verum est, im-
probatum eant. Tales autem conatus meritò quemvis ad peni-
torem considerationem extimulant, istius præsertim rei, quæ in
Philosophiâ & Theologiâ pariter usum habet insignem. Eam ob
causam de communicatione Propriorum differendum in præsen-
ti mihi est, ut appareat, an Naturæ & sanæ Rationi, quod Non-
nulli dicunt, adversum sit, si unius proprium à duobus com-
muniter obtineatur. Quod ut justo fiat ordine, primo loco ve-
rum controversiæ statum evolvam, deinde veræ sententiæ solida
quædam fundamenta superstruam, ac denique Adversarij argu-
menta pro obtinendâ negativâ allata producam & destruam. Fa-
xit Deus, ut feliciter!

PARASCEVE.

Status & cardo controversiæ in hoc vertitur: *an unius Sub-*
stantiæ propria sive actiones sive divines & qualitates alteri substan-
tiæ realiter quidem distinctæ, arētissime tamen unitæ, sine confusione,
pro cujuslibet naturâ ad communem possessionem, usurpationem & de-
nominationem verè & realiter ob istam unionem arētissimam communi-

cariqueant? Ita B. MEISNERUS part. I. Philos. Sobr. S. & T. I. quæst. II. p. 76. Adeoque ut propria sint communicabilia, quatuor præsupponuntur conditiones, (1) ut subjecta, inter quæ communicatio versatur, non separata, sed immediatè conjuncta sint. (2) ut prædicatio non possessionem alicujus proprii, sed ejus usurpationem & receptibilitatem sequatur, quod absque periculo veræ contradictionis alterum recipere potest. (3) ut observetur diversus modus inestendi: propria enim primariò, per se, & immediatè insunt suis subjectis, à quibus naturaliter dimanant: secundariò verò, per aliud, & mediatè illis subjectis insunt, quibus propter unionem communicantur. (4) ut proprium non deserat suum subjectum proprium, & ex illo in aliud μεταβατικῶς migret, sed ut retineatur proprium subjectum, in quo inhaesivè proprium semper est, & manet, licet in alio sit communicativè. Quæ omnia ut evadant clariora, deducam per exemplum: Calor, qui est ignis proprium, (1) communicatur ferro cum igne conjuncto. (2) levitas, licet etiam à ferro possideatur: [communicatà enim essentiã ignis, omnia quoque essentialia consequentia ad communem possessionem communicantur] tamen non prædicatur de ferro, quia à ferro levitas usurpari nequit, cum sit ejusmodi proprium ignis, quod ferrum recipere non potest, siquidem ferro levitas repugnat, & contradictionem implicat, grave esse, & leve. (3) calor inest igni per se, ferro per aliud, per & propter unionem atq; communicationem. [4] calor non deserit ignem, suum ἀπὸ τοῦ ἀκτινῶν, primum & immediatum subjectum, & excurrit ad aliud, sed inseparabilis est ab igne, nihilominus tamen mediante igne, in quo manet per inhaerentiam, ferro communicatur.

CATASCEVE.

Communicari itaque hac ratione propria posse, probari jam prolixè posset, id quod tamen cum pridem à Nostratibus factum sit, hinc sepositis cæteris rationibus unicam tantùm hac vice repetam, eamque cardinalem, à communicationis causâ petitam, hoc pacto: *Ubicunq; datur arctissima extremorum, licet essentialiter distinctorum unio, ibi locum habet propriarum qualitatum & operationum communicatio. At in serie*

in serie & sphaera substantiarum naturalium datur ar-
etissima unio extremorum &c. igitur. Ita etiã cõcludebat Ce-
 leberr. TRENDSCHILS Exerc. Metaph. XVI. Theor. I. §. IX. Ma-
 jor à positione causæ ad positionem causati procedit. Etenim quod
 unio sit causæ communicationis, facile constare potest. Unio vi-
 delicet non præcisè ac formaliter spectata, sic enim nihil aliud,
 quàm rerum conjunctionem notat, quæ quæ talis, realem unio-
 rum communicationem non importat, uti videre est ex unione
 externâ & *παράστατικῆ*, quæ omnino est dissolubilis, & sine ullâ *ἐπι-*
χορηγίᾳ, siquidem non se habet per modum formæ informantis,
 sed assistentis. Verùm interna, & substantialis, quæ vera, adæ-
 quata & immediata communicationis, verè & realiter aliquid
 conferentis causa est, non quidè simpliciter atque absolutè, sed cū
 certâ restrictione, si sc. adsit receptivitas & *ἐπιτελεχίας* ratio in
 subjectis unitis. Estque adèò saltem quoad generalem *χέσιν*, re-
 spectu extremorum, quæ ad se mutuò referuntur, unio æqualis;
 nequaquam verò quoad specialem hanc conditionem, quam re-
 quirat, quia non utrumque rationem *ἐπιτελεχίας* vel *δυναμείας* ha-
 bere potest. Probari id potest, sc. unionem esse causam communi-
 cationis, tum de unione essentiali. Suppono autem tritissimu
 illud axioma Philosophicum: *ex duobus entibus completis incommu-*
nunicabilibus non potest constitui unum per se incommunicabile, eò
quòd ex duobus actibus per se in æternam non possit fieri unus actus.
 SCALIGER exercit. VI. S. V. Ita non possunt concurrere ad unū
 per se constituendum actus & potentia, quin statim insequatur
 quædam *περιχώρησις* atque *κοινωνία*, quâ actus potentiam perfici-
 at, actuet, & perfectius unitorum id, quod indiget perfectione, in-
 timè pervadat, eidemque perfectionem debitam communicet.
 Exinde argumentor: quæ unio ex diversis rebus unitis facit unum
 per se, illa est causa communicationis, ut sc. unum alteri eas per-
 fectiones proprias communicet atque imperiatur, sine quorum
 communicatione unum per se prorsus constitui nequit. At unio
 essentialis sive naturalis, qualis est inter materiam & formam in
 corporibus, omnibus, inter elementa & formam mixti in minera-
 libus, mixtisque omnibus, inter corpus & animam in omnibus u-
 niver-

A 3

niver-

niversim viventibus, ex diversis rebus unitis facit unum per se.
Ergo unio illa essentialis sive naturalis est causa communicatio-
nis, ut nimirum unum alteri eas perfectiones communicet atque
imperetur, sine quorum communione unum per se constitui ne-
quit proflus. Major patet, cum unum per se fieri nequeat, nisi
per actum & potentiam, h. e. nisi res unitæ se mutuò permeent
per modum actus & potentia. Ita verò actus intimè complecti-
tur potentiam, eamque immediatè per seipsum actuat, sicque ad
speciem certam determinat. Neutrum horum ullo modo fieri
potest, nisi actus seipsum communicet potentia, eique suam vim
propriam elargiatur, adeoque & potentia verè ac realiter partici-
pat de actu per quem propterea dicitur actuata & determinata.
Sic forma in corporibus materiae suæ communicat actum, qui
proprius forma est, anima viventi corpori vitam animalem. Mi-
nor extra controversiam est, sic enim essentialiter unitæ forma &
materia faciunt corpus, quod unum per se esse nemo sine *ἀπορίᾳ*
διαβολᾶς negare potest. Eadem ratione unionem quoque sup-
positivalem suo modo causam communicationis esse, facile intelli-
gitur, modò attendatur, etiam ibi unita se mutuò afficere, & unum
in altero actum suum exercere, uti patet in ferro candente, quod
per actum ignis ita ignescit, ut igneo certè calore perfusum fiat ca-
lidum, urat, splendeatque per illum ipsum calorem, qui ignis in
ferro existentis proprius est, qua de plura forsan infra. Adeoque
firma manet major dati Argumenti. De Minori jam etiam dispici-
endum. Ubi quidem plurima exempla communicationis possent
adduci, cum tamen brevitati sit studendum, duo primaria addu-
xisse sufficiat. *Primo* loco produco communicationem, quæ inter-
cedit inter corpus & animam. Quod corpus & anima in viven-
te artissimè inter se sint unita, ultrò constat; ex hac unione verò
sequitur communicatio priorum, & primò quidem commu-
nicatio vitæ. Hoc ut ostendatur, sciendum est, corpus ex se, & si-
bi relictum, nullam vitam habere. Si namque vitam ex se ha-
beret, etiam separatâ animâ viveret, quod tamen falsum esse ne-
mo inficiabitur, quia separatâ animâ corpus non amplius dicitur
vivum. Cum autem corpus eo tempore, quo cum animâ inti-
mè est

mè est unitum, vivens dicatur, manifestò sequitur, quòd vitam aliunde habeat communicatam, nimirum ab animâ, quæ quoniam per unionem arctissimam in corpore habitat, inde fit, ut illa vitalis potentia, quæ est in animâ, tanquam in πρώτῳ δεικτικῶ, sit etiam in corpore secundariò, atque hoc fit per communicationem: κατὰ συνδύασιν καὶ ἕνωσιν. Etenim communicat anima suas proprietates cum corpore ob unionem, & corpus unitum cum illis habet communionem, non quòd fiat confusio naturarum animæ & corporis nec q. duæ potentia vitales sint in homine, altera in corpore, altera in animâ, sed una est potentia vitalis, quæ animæ propria est & manet, per unionem autem dicitur cum corpore communicari, quia anima arctissimè cum corpore unita suas potentias in organis corporis ad hoc dispositis, & per ea exercet. Deinde etiam eodem modo anima sensitiva communicat cum corpore facultatem sentiendi, quicquid enim sentit, id habet potentiam sentiendi. Sed membra corporis animati sentiunt, ideoque habent potentiam sentiendi. Quod sentiant, facilè patet, siquidem oculus videt, auris audit &c. habebunt ergo potentiam sentiendi, & quidem vel propriam vel aliunde communicatam; non propriam, quia corpus qu. corpus, nihil aliud est, quàm substantia, ex materiâ & formâ constans, & in se, suæque naturâ non includit vitam, motum, & sensum, sed solum qu. est animatum. Ergo habebit sentiendi potentiam communicatam aliunde, nempe ab animâ, quæ cum suis potentiis corpori unita est, ita ut hoc modo unitum corpus cum potentiis animæ talem habeat communionem. Atque hac ratione manifestum est, non fieri confusionem animæ & corporis, anima enim videt, audit &c. propriâ virtute, & tanq. subjectum primum, licet utatur organo corporeo: corpori verò videre, audire &c. competit tantùm mediatè, secundariò, & per aliud, nimirum per virtutem animæ. Similia dici possunt de potentia movendi. Unde luculenter apparet, propria animæ communicari corpori, & quidem κατὰ συνδύασιν καὶ ἕνωσιν. Secundo produco communicationem priorum inter ferrum & ignem. Quamvis enim ferrum & ignis habeant naturas realiter diversas,
ita

ita tamen sæpe coalescunt, ut ignis totam ferri substantiam per-
 vadat, & se in omnes ferri partes in sinuet, ut nihil in ferro sit
 vel ostendi queat, quod non undiquaque ignem sibi habeat præ-
 sentissimè copulatum. Ex quâ artissimâ & intimâ unione deinde
 fit communicatio, quâ ignis calorem & lucem sibi per naturam
 inhaerentem ferro communicat, ita ut ferrum sit lucidum & sum-
 mè calidum sicut hoc sensus abundè testantur. Communicat
 autem ignis proprietates suas ferro per unionem, non per com-
 municationem confusionis seu effusionis, sed substantia ignis per
μερισμὸν est in ferro, & vim suam urendi ac lucendi exercit atque
 exercet in ferro, cum ferro, & per ferrum ignitum, absque natu-
 rarum & proprietatum confusione. Unde non tantùm ignis in
 ferro urit & lucet, sed ipsum etiam ferrum [ignitum] urit, lucet-
 que, non proprietate sua essentiali, nec qualitate aliquâ seorsim
 extra ignem effusâ in ferrum, sed vi & potentiâ ignis uniti candet
 atque urit, quâ vi & potentiâ [licet ignis propria sit] ipsum etiam
 ferrum ob unionem ad urendum & lucendam utitur. Hac igitur
 ratione nec confusio, nec abolitio, nec transmutatio vel sub-
 stantiarum vel proprietatum ignis & ferri fit: magnum enim di-
 scrimen est, quod ignis lucet & urit in ferro, & quod ferrum ignitum
 lucet & urit. Nam ignis in ferro lucet atque urit facultate pro-
 pria, ferrum verò [ignitum] lucet ac urit non propriâ aliquâ vir-
 tute, nec adventitiâ aliquâ qualitate formaliter in ferro inhaeren-
 te, sed virtute ignis uniti, quæ virtus propria est & manet ipsius i-
 gnis. Propter unionem verò cum ferro jam non ignis tantùm in
 ferro eâ virtute utitur, sed & ferrum ignitum ratione unionis vir-
 tute illâ utitur. Egregiè BASILIUS: *ignis est in ferro ὅν μεταβατο-
 κῶς, ἀλλὰ μεταδοτικῶς. Non enim excurret ignis in ferrum, sed ma-
 nens in suo loco μεταδίδωσιν αὐτῷ τῆς οἰκείας δυνάμεως, nec commu-
 nicatione illa fit minor, sed seipso illud totum replet, quod particeps est
 ignis.*

ANASCEVE,

Cùm itaque ex hæcenus disputatis constet, quod omnino
 in Sphæra substantiarum naturalium locum habeat propriarum
 quali-

qualitatum & operationum communicatio, frustrâ erunt quâs
 ii. qui eandem impugnant, quorum quidem & nomina & argu-
 mēta in presenti adducere & refutare integrū haud eⁿ, hinc unicui-
 tantum hac vice sistam **PARTIOLUM AUM KECKERMAN-**
NUM, Philosophiæ quondam Professore Gedanensem, qui eti-
 am rem istam curiosius, quàm alii, tractavit. Et primò quidem
 in Syst. Log. l. I. cap. XXI p. m. 184. hunc ponit canonem: *omne*
proprium unius speciei est incommunicabile alteri realiter eversa. Ad-
 dit: *axioma est Logicum penè tam manifestum naturæ, ut illud: bis qua-*
tuor sunt octo; id eod. à nemine Phil. Sophorum, ne vis quidem, qui ad
multa paradoxa pronisuerunt, usq. ad hæc nostra tempora fuit negatum,
ubi demum reperti sunt, qui, ut carnis Christi veritatem evertirent, tum
hoc, tum alia Logice principia impugnarunt. At fallit & fallitur e-
 gregiè. Contrarium in propatulo est, & præprimis quod multis
 abhinc seculis communicatio propriorum asserta fuerit, demon-
 stravit B. JAC. MARTINI in pecul. tract. de loco & communic.
 propr: p. Subjicit quidem rationes contra nostram communi-
 cationem, at quàm miseræ illæ? At: *primo ipsa vox idic. proprii,*
eos refutat, si quidem omne, quod communicatur commune est, quod au-
tem commune est. tō idic. contrad. distinguitur: contrad. distinctum autem
sui contrad. stincti negatione n. includ. t. ita ut communic. vel commune
esse dici nihil possit, nisi prius dicatur non proprium. Sagax ratio &
 quæ facile in rete cogat minus sagaces. Videamus, quælo quid
 valeat & quid ferre recuset. Argumentum ita formaretur: N.
 proprium est commune. A. quod uni soli rei inest, est proprium.
 E. Verùm enim verò major illa tantum secundum quid vera est.
 Id enim, quod proprium esse dicitur, vel ita dicitur per inhæsi-
 onem, vel tantum per possessionem & usurpationem, sine inhæsi-
 one. Proprium igitur, quia non per possessionem & usurpationem
 tantum, sed per inhæsiionem proprium dicitur, unum, idem-
 que observari hisce diversis respectibus, & proprium, & com-
 mune dici potest, proprium, ratione inhæsiionis, ita enim tan-
 tum suo primo subjecto inest: commune verò idem dici potest,
 quæ per diversificationem ejus possessio & usurpatione fit co-
 munitatis. Breviter: proprium semper manet proprium ratione in-
 hæsi-

Antagonis: commune fit ratione possessionis & usurpationis. Er-
go proprium, ut proprium, nunq̄ fit commune, i. e. ut inhaerēt.
Ergo falsum est, quod infert: *qui communicari propria di. unt, pro-*
prium non proprie utuntur. Quandoquidem hoc tum demum se-
queretur, si statuereimus, proprium fieri commune eā ratione,
quā proprium est, nempe ratione inhaesionis, quod tamen ne-
quaquam facimus. Pergit tamen Noster Ille, ibidem inquiring: *secundo*
accedit nexus & unio arctissima inter essentiam & proprium cu-
jusq; speciei; qualibet enim res ad sui perfectionem requirit tria individua
inter se connexa, videlicet essentiam, essentialia propria, & operationes;
unde Scholastici propria vocarunt secunda momenta naturae. Quapropter
proprium communicari non poterit, quin ipsa causa, sc. essentia commu-
nicetur. Argumentum ita proponi potest: ubicunq; datur com-
municatio priorum, ibi concedenda est communicatio essen-
tialis. At hoc est impossibile (infert enim confusionem essen-
tialium) Igitur. Sed negatur minor: talis namque asseritur essen-
tialium κοινωσία, quæ non in confusione sed in arctissimā quādam
συνδυάσει consistit: quo modo negari nequit, uniri & componi
materiam ad formam, adeo, ut dicatur, formam esse communi-
catam cum materiā, quia ei suum communicat essentialem actum
qui à formā non re, sed ratione duntaxat distinguitur, cum actus
formæ sit ipsa forma, haud secus ut potentia materiæ est ipsa ma-
teria in Physicis. Quam postmodum communicationem sequitur
priorum communicatio sine ullā confusione. Uti enim essen-
tialium iste non confunduntur, vel altera in alteram transformatur:
ita etiam accidentium priorum ratio non tollitur, quæ confi-
stit in immediatā inhaesione in aliquo subjecto primo. Omnino i-
taque sic concludimus, quia diversa ὄντα sive subjecta sunt unita,
& consequenter ob illam unionem inter se suo modo communi-
cata, ipsa quoque illorum propria communicata esse, ratione ni-
mirum communis possessionis & usurpationis. At ulterius pro-
greditur Antagonista, qn: ibidem ait, *tertio, quod est est causa di-*
stinctionis rerum, non debet esse causa confusionis; sed propria acciden-
tia & operationes sunt illud, quo mediante res inter se distinguuntur un-
de sequitur non posse esse illud, quo confunduntur, esset autem, si
rebus disparatis communicarentur: quod enim commune est, id
cer-

*certè non distinguit. Aut ergo res suis essentialibus inter se non distinguntur, aut propriè n' n' communicantur. Scilicet ita videtur concludere: quæcunque distinguit rem à re, id nequit communicari cum eo, contra quod distinguit. A. proprium. E. Verùm, ut breviter me expediam, do (1) instantiam forma debet esse principium distinctionis, quod extra controversiam est, & tamen non vetat hoc ipsum, quò minus forma suam numero essentiam communicet materiæ. (2) distinctionem: causa & fundamentum distinctionis sumitur vel à priori vel à posteriori. Principia producentia & constituentia sunt fundamenta à priori: proprietates essentiam constitutam consequentes sunt & manent fundamentum distinctionis à posteriori sive communicentur, sive non. Si hoc, distingunt subjectum à quovis alio, quod talibus propriis destitutum est. Simillud, distingunt tamen adhuc subjectum ab alio quovis tum formaliter tum suppositaliter diverso. Sic facultas vivendi, licet corpori communicata, distinguit tamen adhuc animam; cuius proprium est, tum à corpore tanq. subjectum immediatum à mediato, tum à quavis substantiâ non vivente. Hæc ergo sunt, quæ in systemate suo Logico contra priorum communicationem adduxit Noster. Subjungit hæc verba, quibus quasi obfignat: *effugia & distinctiones, quibus illi hoc communicationis à toto conantur interpolare. alibi expendimus & refutavimus prolixè.* Nempe, nî fallor, alludit ad Gymnasium suum Logicum, ubi quasdam exceptiunculas contra nostra argumenta finxit & rationes alias in contrariam partem attulit: cas autem cum jam dudum refutarint Nostrates, hac vice, ne actum agam, mittere & omittere cogor. Manet interim, quòd etiam erraverit*

Ibi Kecker Mann Philosoph's Gedanens Is.

*Gloria sit Patri, sit Nato gloria Sancto
Gloria Spiritui, Triadi sit gloria Sanctæ!*

Epimetron Anti-Timpler.

C*lemens Timplerus l. III. Metaph. c. III. contra cõmunicationẽ priorum etiã nonnullas affert rationes, quæ*

quod tamen in definitione vix ne vix quidem dicuntur sunt.
Potissima haec est, quia omnis proprietas essentialis
à Deo & natura determinatur ad certum subje-
ctum, cui soli & semper inest. Argumētum inde tale emer-
geret: si omnis proprietas essentialis à Deo & natura de-
terminata est ad certum subjectum, cui soli & semper inest,
sequitur, quod proprietas non possit communicari. Sed
antecedens est verum. E Consequentia inde patet, quia si
proprietas communicaretur, alii subjecto etiam inesset, &
sic non esset determinata à Deo & natura ad certum sub-
jectum. Antecedens probatur quia proprium fluit ex cer-
ta & determinata forma in subjecti. Haec v. ut enerventur,
notandum, proprium posse alicui competere & tribui du-
pliciter: immediate ac primo, & mediate seu per aliud
medium v. g. diuisibilitas competit quantitati immediate
& primo, corpori autem mediate, scilicet: mediante quantitas-
te. His praemis sis limitem hoc pacto: si omnis pro-
prietas à Deo & natura determinata est ad certum sub-
jectum, cui scilicet: immediate inest tanquam proprietas, sequitur,
quod proprietas non possit communicari ita ut alteri, cui
communicatur, etiam in sit immediate & primo, eiusque, cui
communicatur, proprietas fiat. Quando iam subsumentur,
antecedens esse verum, ferenda haec conclusio erit: ergo
proprietas non potest communicari, ita ut alteri, cui com-
municatur, in sit immediate & primo fiatque eius proprietas.
Hanc conclusionem veram esse utraq; manu largior: pro-
prietas enim illi subjecto, cui sunt communicata, tantum con-
veniunt secundario & mediate nempe mediante eo, cui pri-
mo competunt. Sed manum de tabula.

Coll. disc. A. 122, misc. 68